

Peter Hinckelmann Johann Hude von der

**De Papismo Disputatio Anasceuastica Decima Nona. Continens praecipuos  
Romanae Synagogae errores refutatos, quos ea fovet in loco De Traditionibus**

Rostochii: Litteris Reusnerianis, 1608

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756812240>

Druck Freier  Zugang



P. Hinkelmann.

R. M. theol. 1607. 8.



- Controversiae
- ① Joh. Lutschius, de deo uno et vero 1607
  - ② Joach. Hemmingius, de communicatione majestatis 1607
  - ③ Joach. Fischerus, de peccato originali 1607
  - ④ Heid. Kirchnerius, de arbitrio hominis 1607
  - ⑤ Joh. Redekerus, de discrimine legis ev. 1607
  - ⑥ Henr. Textorius, de justificatione 1607
  - ⑦ Joach. Jordenius, de bonis operibus 1608
  - ⑧ Joann. Lutschius, de sacramentis 1608
  - ⑨ Joach. Hemmingius, de sacramento coenae 1608
  - ⑩ Heid. Kirchnerius, de sac. Confirmationis 1608
  - ⑪ Joh. ab Huda, de traditionibus 1608
  - ⑫ Paul. Brinner, de votis monachatu 1608
  - ⑬ Nic. Fridricus, de adiaphoris 1608
  - ⑭ Henr. Hammerus, de oratione 1608
  - ⑮ Pet. Lofft, de indulgentiis 1608
  - ⑯ Joh. Albinus, de morte 1608



1. (m)

DE PAPISMO  
DISPUTATIO ANASCEVASTICA  
DECIMA NONA.

*Continens præcipuos Romana Synagoga erro-  
res refutatos, quos ea fovet in loco*

De

TRADI-  
TIONIBUS.

*Reverende facultatis Theologicae in Academia  
Rostochiensis consensu:*

Moderatore & Doctore S.S. Spiritu:  
Sub Praefidio

M. PETRI HINKELMANNI

*Verbi Divini ministri:*

ad privatam *conferentiam* proposita

IOHANNĒ AB HVDA  
Hamburgens.

*6. Nonas Martij Horis locoq̄ solitis*

ROSTOCHII,  
Litteris Reulnerianis An. 1608.







DISPUTATIO XIX.  
DE TRADITIONIBUS.

Πελεγόμυα.

I.

**F**undamentum totius Theologiae est, non aliter de essentia & voluntate DEI, de fidei articulis, de quibus cultibus Deo prestandis sentiendum aut docendum esse, quam sicut se Deus in suo verbo per Moysen Prophetas & Apostolos tradidit (a), patefecit.

a) Deut. 12.  
v. 32.

II. Et quicumque vult salvus esse ac placere Deo, necesse est ante omnia, ut hoc solo nitatur, & paratus sit potius vitam amittere, quam hoc fundamentum sibi à Sophistis subverti patiatur. Hoc enim stante, stabit, & porta inferorum non prevalebunt adversus eam, hoc cadente, cadet, & instar arundinis quovis doctrinae vento fluctuabit.

III. Huic fundamento unico, ex diametro opponuntur fictitia Pontificiorum Traditiones, quas magnifice extollunt, easque Scripturae non solum conferunt, sed longe etiam ei praeferrunt; dum eas Scripturae sacræ planiores & pleniores faciunt, adeoque certissimum fidei fundamentum esse affirmant: quibus sublatis nullos esse libros canonicos, nullum verbum DEI ceriò constare, incertam esse DEI Ecclesiam, nullam esse vel inutilem Christi promissionem, nullum judicem vel regulam discernendi doctrinam veram & falsam, imò sine quibus Evangelium purum nomen, id est, tantum voces & verba sine sensu esse somniant.

Theſibus in  
Academi  
Dulingenſi  
Anno 1566.  
excusis in  
1. Epistola  
Pauli ad  
Timoth.

IV. Neque sine causa has suas putidas traditiones tantopere supra S. Scripturam elevant, & pro ijs tanquam pro aris & focus dimicant. His enim positis, pulcherrimam sibi peperisse victoriam, adeoque quasi prostratis cunctis hostibus, & relicta Scriptura Sacra depromptis, compendiarîâ viâ excussis, serîo sibi triumphare videntur; falsis verò &

Bellar. De  
verbo DEI  
non scripto  
cap. 4.



vanis deprehensis, totum Pontificij regni *ὄσχυρα* facile everti ac labefactari animadvertunt.

V. *Vi itaqz Pontificijs insignem audaciam & gloriationem de suis Traditionibus, quas pro fundamentis fidei ponunt, eripiamus eosqz confundamus, & nostram assertionem, qua scripturam pro unico fidei fundamento agnoscimus, sartam tectam conservemus, de Traditionibus Pontificijs disputabimus, & quid valeant secundum scripturam cy-nosuram *ἢ καὶ Βεαχέων* differemus. Dicemus autem primò de Traditionibus in genere, tum & in specie quasdam traditiones Pontificiorum enumerabimus. 2. Videbimus, qua necessitate, quo pietatis affectu ac reverentiâ suas traditiones suscipiendas & venerandas Pontificij imprent.*

#### CAPUT PRIMUM.

#### De Traditionibus in genere, & in specie.

#### Primus Error.

Bellarm. de  
verbo DEI  
non scripto  
lib. 4. c. 3.

Nos asserimus in scripturis non contineri expressè totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus, & proinde præter verbum DEI scriptum requiri etiam verbum DEI non scriptum, id est, divinas & Apostolicas traditiones.

#### REFUTATIO.

I. *In hujus erroris statu seu *νεωποδῶ* rectè explicando & refutando, duo potissimum distinctè consideranda sunt 1. Verum in sola scriptura sacra, dogmata sive de fide sive de moribus necessaria, solidè integrè & sufficienter contineantur. 2. Quid Pontificij per verbum Dei non scriptum, hoc est, divinas & Apostolicas Traditiones intelligant. His rectè explicatis & refutatis falsissima eorum hypothesis ultrò corruet.*

II. *Quod primum illud attinet, non totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus expressè contineri in scripturis, manifestè falsum est, & pugnat contra totam scripturam. Omnia enim fidei & morum dogmata, quam sufficientissimè & perfectissimè in verbo scripto Pro-*



pto Prophetarum & Apostolorum continentur, ita ut ex solo verbo Dei *ἕως ἄσπετος* absq; ullo additamento traditionum humanarum, quilibet haurire possit ac debeat qua ad salutem necessaria.

III. Et si enim ultrò largiamur, non omnia Prophetarum oracula, nec omnia Apostolorum scripta, nec omnia Christi & Apostolorum facta & eloquia literis esse consignata; attamen neq; defectus ille quicquam obest saluti hominum, neq; si per traditiones Propheticas & Apostolicas abundè suppleretur, quicquid adjuventi faceret, aut nova aliqua dogmata verbo Dei scripto contraria importaret. Hinc rectè Augustinus: Non omnia qua fecit Dominus conscripta sunt, sed divina inspiratione selecta sunt, qua saluti credentium sufficere videbantur.

Tract. 49.  
in Iohan.

IV. Et sanè quod omnia fidei morumq; Christianorum dogmata absolute & perfectè contineantur in verbo Dei patefacto & scripto, docet manifestè vox Dei, inquitens (a): Custodite & facite qua praecepit Dominus vobis, non declinabitis neq; ad dextram neq; ad sinistram (b). Quod ego praecepit tibi hoc tantum facito, non addas quicquam, neq; detrahas ex eo (c). In praeceptis MEIS ambulare & iudicia MEA custodite.

a) Deut. 5, 32  
& 12, v. 32.  
b) Deut. 4, 2.  
Num. 15, 39.  
Prov. 30, 6.  
c) Ezech. 20.

V. Hoc nunquam tam severè praecepisset Deus, ut solo verbo Dei scripto contenti, ne lacum quidem unguem ab eo recederemus, si ve ad dextram, si ve ad sinistram declinando, si verbo suo scripto ad salutem deesset quicquam, traditionibus ac adiunctionibus supplendum.

VI. Et valde memorabile est, quod Christus & Apostoli corrigentes & emendantes doctrinam fermento traditionum humanarum corruptam, nusquam traditiones Patrum, sed tantum scripturam, eamq; solam authenticam citent. Cum procul dubio multa pia & praeclara & apud Phariseos & Iudeos plurimum valitura, ex veteribus Rabbinijs & patrum sententijs ac traditionibus proferre potuissent.

VII. Quod procul dubio eo fine fecerunt, ut nos exemplo eorum disceremus propheticum fermentum lucernam in obscuro loco lucentem abundè sufficere ad refutandos errores, & stabilienda fidei dogmata, nec opus alijs patrum scriptis, aut non scriptis traditiunculis, in quibus

A 3 licet



licet quaedam utilia reperiantur, tamen plurima noxia complectuntur.

**VIII.** Hoc Christus & Apostoli non solum exemplis, sed etiam expressis dictis innuunt. Christus enim dicit ad Iudaeos<sup>a)</sup> scrutamini scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam aeternam habere. Quod dictum manifeste arguit scripturam sacram esse plenam & sufficientem. Si enim sola scriptura deducit ad perfectitudinem, hoc est, ad vitam aeternam, utique perfecta erit & sufficiens. Causa enim non est deterior suo effectu. Et si esset in scriptura defectus ad inventionibus humanarum traditionum adimplendus, quomodo Christus posset pronunciare de scriptura, quod in illa sola haberetur vita aeterna.

a) Joh. 5. 40.

**IX.** Et sanè probiores fuerunt hac in re Pharisei Christi tempore, nostris Pharisaeis Papistis. Illis enim apertum testimonium dat Christus, quod putaverint in solis sacris literis haberi vitam aeternam. Pharisei verò moderni quarunt praeter scripturam etiam salutem in suis Pseudoapostolicis traditionibus.

**X.** Hanc quoque scripturae perfectitudinem Paulus aureo illo dicto (quod Bellarminus vocat Achillem Brentij & Chemnitij) probat<sup>a)</sup>:

a) 2. Tim. 3.

v. 16.

Bellar. lib.

4. de verbo

cap. 10.

Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

**XI.** Tribuit hoc dicto Paulus toti sacrae scripturae ea omnia, quae ad salutem hominis sunt necessaria: aut enim homines Christiani in doctrina fidei sunt formandi, quod fit διδασκαλία; aut seducti ab haeresibus advocandi, quod fit ἐλέγξω; aut male morati sunt corripiendi, quod fit ἐπιτιμώμενοι; aut ad bene vivendum sunt inflammandi, quod fit παίδεια ἐν δικαιοσύνη. Hac omnia in scriptura Veteris & N. T. utiliter fieri, Paulus hoc dicto testatur.

**XII.** Tribuitur eodem dicto sacrae scripturae lass non saltem docendi, arguendi, corrigendi, erudiendi, sed & virtus PERFICIE ND I in istis quatuor partibus, & quidem non tantum fideles in genere quosvis, sed imprimis Dei hominem, id est, Ecclesiae ministrum, per quem S. Sanctus alios docere & infermare solet, ut fiant servi



servi Dei ad omne opus bonum perfecti, (a) & evadant in unitatem a) Eph. 4. 13  
fidei & agnitionis filij Dei in virum aduatum ad mensuram statura  
adulti Christi.

XIII. Si itaq; in scriptura S. omnia dogmata fidei morumq;, qua  
hominem Christianum perfectum readere possunt & ad vitam aeter-  
nam deducere, solide sufficienter & perfecte contineantur, manifestè  
falsa est Bellarmini assertio supra allegata, de insufficientia scriptura.

Quare concludimus dicto Syracidis cap. 34. v. 8. ἀνευ ψεύδους συντελεσθή-  
σεται νόμος, καὶ σοφία σώματι πρὸς τελείωσις. Quae verba Graca empha-  
tice Lutherus reddidit: Man darff keiner lügen darzu / daß man  
das Gebot halte / vnd mon hat gnug am worte Gottes / wann  
man recht lehren wil.

XIV. Jam parò videndum quid Pontificij intelligant per ver-  
bum DEI non scriptum, seu per divinas & Apostolicas traditiones:  
Nam his splendidis titulis, quibus suas impias traditiones illinunt ac  
palliant, venenum spirant infernale & fucum faciunt imperitioribus.

XV. Vox Traditionis (quam Hebraei Kabalam Graci παραδοσιν  
appellitant) non est ejusdem significationis tam in Scriptura, quam  
in scriptis Patrum. Nunc enim in bonam, nunc in malam partem  
accipitur. Et sanè Sophisticè agunt Pontificij, dum omnes traditiones,  
quae non sunt unius generis confundunt, & eas unà fidelia, ut dicitur,  
in proverbio, dealbant.

XVI. Diligenter itaq; & accuratè distinguendum est inter ge-  
nera traditionum, quae ad quatuor classes commodè possunt referri: qua-  
rum quaedam sunt divinae, quaedam Apostolica, quaedam Ecclesiasti-  
ca, quaedam Papistica & Pseudoapostolica, quibus diligenter distinctis,  
plurima Pontificiorum argumenta infringere possumus.

XVII. Ad primam Traditionum, quae dicuntur Divinae, classem,  
referuntur omnia fidei morumq;, dogmata & praecepta in scriptis Pro-  
phetarum & Apostolorum comprehensa. Sic Paulus (a) Coena Domi-  
nica institutionem (b), articulum de resurrectione Christi, adeoq;  
(c) omnem suam doctrinam, quam ab ipso Deo in tertio calo acceperat,  
traditiones vocat,

a) I. Cor. 11.  
v. 23.

b) & 15. v. 2.

c) 2. Theff. 2.

v. 15. & 3.

v. 6.



**XVIII.** Vocatur autem salutaris doctrina Traditio, quia Christus (a) accepit eam à patre & tradidit Apostolis, & porro Apostoli hanc doctrinam à Christo traditam (b) tradiderunt auditoribus.

a) Ioh. 17. 8.  
b) 1. Cor. 11.  
v. 23.

**XIX.** Deinde ad hoc primum traditionum genus referimus omnia ea, quae implicite habentur in scripturis sacris, & per bonam consequentiam inde deducuntur. Quaedam enim, ut Nazianzenus ait, & sunt & dicuntur in scriptura: ut (a) Deum esse unum, (b) Deum esse patrem Domini nostri Christi Iesu. Quaedam sunt in scriptura, sed non dicuntur, hoc est, licet non quoad verba, sed tamen quoad res ipsas continentur in Scriptura, ut nomen Trinitatis, *ἑως αἰῶν*: Infantes esse baptizandos, &c. Hac & similia, quae in totâ consequentiâ ex scripturis deduci possunt, & ex ipsis sacramentaliterum visceribus hauriuntur, merito verbo DEI *ἕως αἰῶν* accensentur. Huc pertinent sincera scripturae interpretationes, quatenus continent *πάλαι σὺμφωνὰ τῶν ἁποστόλων*.

a) Deut. 6. 4.  
b) Eph. 1. 3.

**XX.** Ad secundam traditionum classem, quae dicuntur Apostolicae, referuntur ritus & Ceremoniae Apostolorum, quae ex ipsorum scriptis probari possunt: cuiusmodi sunt (a) Episcoporum & Diaconorum ordinatio cum manuum impositione, (b) Electio Presbyterorum per suffragia, (c) excommunicatio inordinate viventium, (d) abrogatio Sabbathi, (e) institutio diei Dominicae, (f) ordo in conventibus Ecclesiasticis observandus, (g) lex de modo consecrandi & sumendi sacramentum, (h) de sanguine & suffocato.

a) 1. Tim. 5.  
v. 22.  
Act. 13. v. 3.  
b) Act. 40.  
v. 24.  
c) 2. Thef. 3.  
3. v. 6.  
1. Cor. 5. v. 4.  
d) Coll. 2. 16  
Gal. 4. v. 11.  
e) Act. 20. 7.  
f) 1. Cor. 14.  
g) 1. Cor. 11. 4.  
h) Act. 15. 20.

**XXI.** Dubium autem non est, Apostolos suis auditoribus & alios quosdam ordinasse & tradidisse ritus in publicis congressibus Ecclesiasticis observandos, verum hi & similes congruebant illis temporibus locis & personis, non ex necessitate, ut omnium essent temporum, locorum & personarum, multo minus ad cultum & meritum, sed ad ordinem & decorum atque Ecclesiae aedificationem fiebant.

Rom. 14. 5. 6  
1. Cor. 7. 7  
35.  
Gal. 5. 1.  
Col. 2. 16.

**XXII.** Ac sciendum est magnum esse discrimen inter fidei dogmata, quae universalis & perpetua, tum inter Ceremonias & ritus Apostolicos, qui tanquam adiaphora, sunt certorum locorum, persona-

RUIN AC



om ac temporum, quos cuilibet Ecclesia liberos reliquerunt Apostoli. Vnicuique enim traditioni sua est causa suaque finis. Vbi ergo desijt causa illius, & mutatus est finis, desinit etiam merito conditio omnium verulissima.

XXIII. Itaque illa ipsa traditio Apostolorum, qua descripta est Act. 15. v. 20. & publico Apostolico concilio iudicata necessaria (propter caritatem ad cavenda scandala, ne infirmi Judai offenderentur) de abstinentia ab Idolothytis, sanguine & suffocato, cessante causa, & temporis & personarum circumstantia, in desuetudinem abiit.

XXIV. Ad tertiam traditionum classem, qua dicuntur Ecclesiastica, referimus illas traditiones, ritus & caremonias, qua quidem quoad speciem non expresse habentur in sacris literis, attamen eas vel pre antiquitatis studio ad ἱστορίαν καὶ ἐκκλησιαστικὴν Ecclesia introductas, ex libertate Christiana ita retinendas censemus; quales sunt in baptismo, fidei confessio, abrenunciatio Sathana, exorcismus, patrum sponsio, trina aspersio, pericopa Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium, psalmodia, usus organorum, &c.

XXV. Tenenda autem est de his ritibus regula: ut sint liberi, pauci, ac verbo DEI conformes, utiles ad aedificationem, ad excitandam pietatem, ad augendam religionis SS. reverentiam, ad τὴν καὶ ἐκκλησιαστικὴν Ecclesia: nec astraatur illis opinio cultus aut fiducia meriti, nec constringant conscientias vinculo necessitatis extra casum scandali, ne temere discordiarum semina praebeant.

XXVI. Quarta demum Traditionum classis continet illas, de quibus potissimum digladiantur Pontificij, appellantes eas tacitas & non scriptas, sed viva voce ab Apostolis de manu in manu traditas, proptereaque, ut articulos fidei sub opinione & necessitate cultus, eas Ecclesia obrudentes; qua rectius, possunt appellari Pseudoapostolica & Pontificia, quia non tantum nullo scripturae testimonio evidenter demonstrari possunt, sive ut Petrus à Soto definit, eorum principium autor & origo in sacris inveniri nequit: verum etiam maxima ex parte cum expresso, & Divinitus per Prophetas & Apostolos tradito verbo DEI pugnant.



XXVII. *Quæ vero quot & quales illæ Traditiones ritus ac Cere-  
monia sint, quas ex sententiâ ad versariorum ordinariæ Apostoli,  
non immeritò quaritur ac dubitatur, præsertim cum Romanenses hæ-  
tætenus haud adigi potuerint, ut certum suarum Traditionum cata-  
logum omnibus numeris absolutum consignarent, sicuti ex protocollo  
Colloquij Ratisbonensis videre est. In genere tamen concludit Petrus à  
Soto: Quæcumq; tenet & servat Romana Ecclesiâ, & in scripturis  
non habentur, illa ab Apostolis sunt tradita. Hanc eandem regulam  
I. 4. de ver-  
bo Dei c. 9. tradit & Bellarminus.*

XXVIII. *Quod autem hæ Papistarum Traditiones non sint di-  
vine & Apostolica, sed partim humane, partim impia, partim Diaboli-  
ca, id in subsequenti errore ex certis scripturâ & purioris antiquita-  
tis fundamentis demonstrabimus.*

#### *Error Secundus.*

Hofius de  
expresso  
Dei verbo.  
Romanae Ecclesiae consuetudines & dogmata, quæ in  
scripto verbo DEI non continentur, utpote invocatio  
sanctorum, sacrificium Missæ, cælibatus sacerdotum, &  
id genus alia, sunt certissimæ Apostolorum traditio-  
nes.

#### REFUTATIO.

I. *Cum prætextu traditionum Apostolicarum seu fumo infernali ven-  
dantur, fingantur & excusentur omnis generis Idola, secundum truti-  
nam verbi divini, quod lupis rapacibus pellem ovina suâ penetrantissi-  
mo gladio solet detrahere, examinanda & excutienda sunt hæ caelestes  
& Apostolica, scelestæ inquam & Pseudoapostolica traditiones.*

II. *Principiò itaq; in hoc secundo errore de tribus traditionibus ab  
Hofio allegatis, utpote de invocatione sanctorum, sacrificio Missæ, cæli-  
batu sacerdotum, in specie brevissimè, an sint certissima Apostolica  
traditiones, differemus. 2. Quia innumera alia sint Papistarum tra-  
ditiones, in genere quid ad has respondendam sit videbimus.*

III. *Quod primam Traditionem, invocationem sc. sanctorum attinet,  
qua decent sanctos mortuos, Ecclesiâ caelestis consuetudine fruentes, à  
nobis*



nobis invocandos, & non modo intercessionem apud Deum, verum etiam liberationes ex periculis, & alia bona; ut à S. Georgio defensionem in bellis, à S. Anna divitias, à S. Urbano felicem proventum vinearum, &c. ab ijs petenda esse: ea sanè non est Apostolorum sed Apostatarum certissima traditio.

IV. Constat enim ex scriptura quod S. sanctus, sanctis demortuis omnem invocationis cultum adimat, eamq. supremè damnet; ac hunc honorem adorationis soli Deo tribuat (a): (Dominum Deum adorabis & illi SOLI servies,) in periculis ac necessitatibus vera fide & precatione ardenti ad eum solum confugere, & ab eo solo auxilium & opem petere & expectare precipiat (b).

V. Cum quoq. in sanctos (a) non credamus (b), nec sint *καθολικῶσαι* nostra miseria conscij, ἀπειρον καὶ αἰτήσιμον est, sanctos esse invocandos: imò ipsissima idololatria est, quia (c) cultus soli Deo proprius creature ascribitur, quam Deus se non impanè permissuram in secando præcepto, gravissimè interminatus est.

VI. Hinc Epiphanius quantumvis tenax assertor Apostolicarum traditionum, hanc traditionem plurimis argumentis & exemplis ex scriptura refutat, & pronunciat non ab Apostolis, sed à Diabolis & immundis spiritibus profectam: ἀσεπές καὶ ἀθέμιτον inquit, ἡδικομένον τῷ κηρύγματι τῷ αἰγίῳ πνεύματι καὶ διαβολικὸν ἐνέργημα ἔ πνεύματι ἀκαθάρτη διδασκαλίαν εἶναι: Impium & nefas alienum à predicatione S. Sancti & DIABOLICVM opus & SPIRITVS IMMUNDI doctrinam esse. Et paulò post, non modo donaria Marie offerri, verum etiam eam adorari severissimè prohibet: In honore, inquit, sit Maria, sed Pater & Filius & S. Sanctus adorentur, **MARIAM NEMO ADORET.**

VII. Execrabilis igitur & detestabilis furor est ac insania, cultum ac invocationem Sanctorum, qui teste Epiphanio, est opus impium ac nefandum, alienum à predicatione Sp. Sancti & doctrina ab ipso Diabolo & spiritu immundo profecta, venditare pro certissima Apostolica traditione. Trafcantur non nobis, sed scriptura

B a

& Epi-

a) Deut. 6.  
v. 13.  
Matt. 4. v. 10

b) Pf. 50. 15.

a) Rom. 10.  
v. 13.

b) Ef. 6. v. 16

c) Rom. 1. v.  
5.

Tom. 2. lib.  
3. harref. 79.



& Epiphania Esayita, si veritatem à nobis nolint audire.  
VIII. Eiusdem farina est Sacrificium Missæ, quod nominant propitiatorium, in quo sacerdos unctus & rasus indelebiliq; caractere notatus, modo incrementis corporis & sanguinem Christi Deo patri iugiter offert, pro delictis vivorum & mortuorum ad ea expianda.

a) 1. Cor. 11.  
v. 23:

IX. Hec traditio Verbo DEI & traditionibus Apostolicis planè contrariatur; testantur enim Evangelistæ & Paulus, qui hæc à Deo accepit & nobis tradidit, Christum (a) accepisse panem & gratijs actis non eum patri obtulisse, sed fractum discipulis dedisse. Hominiibus autem dare, non est Deo offerre.

X. Deinde Christus verbis λάβετε, φάγετε, obtulit corpus suum hominibus, nec ut illud Deo patri suo offerrent, commendavit, sed ut comederent in commemorationem mortis suæ iussit. Non enim dixit; Accipite, offerre Deo, sed comedite.

a) Hebr. 10.  
v. 11.

b) Heb. 9. v.  
12, 28.

c) Rom. 6.  
v. 10.

XI. Præterea Christus ut summus sacerdos seipsum Deo Patri ut victimam voluit offerre, non per Monachum unctum aut resum; voluit quoq; non quotidie victima & sacrificium fieri, ut victima in V. T. (a) sapissime iterabantur, sed (b) semel oblatum per proprium sanguinem intravit Sanctuarium æternâ redemptione inventâ, & VNI-CA oblatione consummavit seu perfecit in perpetuum sanctificandos; imò ut (c) Christus deinceps non mori potest, sic amplius offerri non potest.

XII. Cum itaq; sacrificium Missæ contra institutionem Christi, & Apostolicam traditionem sit, falsum est Hosijs illud, quod sit certissima Apostolica traditio.

a) Matt. 8.  
v. 14.

XIII. Idem iudicium de Cælibatu Sacerdotum. Si enim Cælibatus sacerdotum est certissime Apostolica traditio, quare Petrus ut summus Apostolus hanc Traditionem non observavit? Habuit enim & ille conjugem, quia (a) sacrum habuisse legitur.

a) Act. 21 v. 9

XIV. Sic legimus de Philippo, qui unus erat è septem Diacōnis (a), quod filias procreavit. Hinc Paulus ideam boni Episcopi exprimens, inter reliquas virtutes, quas in eo requirit, conjugium potuit;



fuit; ait enim (b) oportet Episcopum irreprehensibilem esse, VNIVS  
VXORIS VIRVM. Et Tito suo praecepit, ut eiusmodi constituat  
presbyterum, (c), qui sine crimine sit, unius uxoris vir.

b) 1. Tim. 3.  
v. 2.  
c) Tit. 1. v. 6.

XV. Adhuc (a) si conjugium honorabile est in OMNIBVS, &  
thorus immaculatus, quare non sit in ministris Ecclesiae honorabile, praesertim cum à Deo sit sancitum (b) & omnibus hominibus donum continentiae non habentibus, demandatum.

a) Heb. 13. v. 4.  
b) 1. Cor. 7. v. 2.

XVI. Omnium autem gravissime refutatur prohibitio conjugij à S. Sancto 1. Timoth. 4. v. 1. ubi spiritus S. disertè dicit, fore ut posterioribus temporibus desciscant quidam à fide, spiritibus deceptoribus attendentes ac doctrinis daemoniorum, per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia caeteris natata, prohibentium contrahere matrimonium, jubentium abstinere à cibis.

XVII. Hoc dicto spiritus S. vocat prohibitionem conjugij, doctrinam non temporibus Apostolorum importatam, ut volunt Pontificij & hoc loco Hofius, sed temporibus novissimis importandam, doctrinam non Apostolorum, sed Apostatarum deficientium à fide, doctrinam non fidelium veracium & syncerorum doctorum, sed spirituum erroneorum, hypocritarum falsiloquorum, caeteriatam & obduratam conscientiam habentiam, imò quod horribile dictu est, doctrinam non hominum si hismaticorum aut hereticorum, sed Daemoniorum; & quidem hoc asseverat non obscure & ambiguè, sed entus clarè & disertè.

XVIII. Deniq; errorem hunc de celibatu Sacerdotum, non originem traxisse ab Apostolis, sed à Pseudoapostolis longè post tempora Apostolorum, testatur quoq; historia Ecclesiastica. Meminit enim Eusebius errorem hunc à Montano Heretico introductum, qui destruxit nuptias non tam contractas, quam contrahendas, docens Paracletum secundas nuptias abstulisse & statuisse monogamiam.

Euseb. lib. 5.  
cap. 18.

XIX. Montanum damnatum haereseos, subsequutus est Tertullianus, qui dixit matrimonium esse ex indulgentia, voluntatem verò Dei esse sanctificationem, hoc est, virginitatem, abstinenciam, viduitatem.



XX. Postea Epiphanius citat & defendit canonem Apostolorum de calibatu Sacerdotum, ut in conjugio non utantur conjugio: sed contra Paphnutius rectè in Concilio Nicæno prohibitionem conjugij sacerdotum, & in eo consuetudinem conjugalem, vocat *NOVAM LEGEM*.

XXI. Ex his omnibus patet calibatam sacerdotum non esse doctrinam Veterem, sed novam, non Apostolicam, sed Apostaticam, non veram & sinceram, sed falsam & hypocraticam, non humanam, sed Diabolicam.

XXII. Ad hanc classem pertinent cetera Papisica traditiones, ut unctio chrismatis, purgatorium, orationes & oblationes pro defunctis, primatus Romani Pontificis, jejunium quadragesime & quatuor temporum, ciborum & dierum discrimine constans, consecratio aquæ & olei in baptismo, communio sub una specie, adoratio panis consecrati, & id genus alia infinita, quæcumq; tenet & servat Romana Ecclesia, & ex verbo Dei non solum probari non possunt, verum etiam eidem deo diè noscitur repugnant: quæ omnia referunt ad divinas traditiones orætenus à Christo & Apostolis tradit as.

XXIII. Sed in genere de his & similibus Traditionibus fictitijs, quas prætextu Traditionum Apostolicarum, & alijs prestigijs non solum co-  
pòis Pæquænois fingunt & pingunt Pontificij, sciendum ost; hos ter-  
tros furores & Idola humanarum Traditionum horribiliter Deo displice-  
cere, ideoq; à nobis fugienda & execranda esse.

a) Exod. 20.  
v. 3.

XXIV. Idq; mandato DEI severissimo (a): Non habebis Deos alienos. Ego sum Deus tuus fortis Zelotes visitans iniquitatem Patrum. Inter iniquitates verò patrum referendi sunt & impij cultus & traditiones patrum cum verbo Dei pugnantes. In preceptis patrum

b) Ezech. 18.

c) Deut. 4. 2.

c. 12. v. 32.

*NOLITE* (b) ambulare, EGO sum Deus vester in preceptis *MEIS* ambulare (c). Quod ego præcipio tibi, hoc tantum facito, nec addas quicquam, nec minuas ex eo.

XXV. Hinc Christus & Apostoli in N. T. hoc præceptum DEI severissimè de cavendis humanis traditionibus renovarunt, & vehementer ac acriter urserunt, & cavendas gravissimè & ardentissimè cū summa obstac.



obtestatione monuerunt (a). Cavete inquit, Christus à fermento Pharisaeorum (b). Cavete à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. (c) Frustram colunt mandata hominum (d). Fugite idola (e). Videte ne quis seducat vos per inanem deceptionem secundum traditionem hominum. (f) Rogamus vos per adventum Domini nostri Iesu Christi & nostra congregationis in ipsum, ut non cito moveamini à vestro sensu, neq; terreamini, neq; per Spiritum, neq; per sermonem, neq; per Epistolam tanquam per nos missam, ne quis vos seducat ullo modo. En ardentissima verba S. Sancti contra Pseudoapostolicas traditiones.

a) Matt. 16.  
v. 6.  
b) & 7. cap.  
v. 15.  
c) & 15. cap.  
v. 9.  
d) 1. Ioh. 5.  
v. 21.  
e) Colloff. 2.  
v. 8.  
f) 2. Thes. 2.  
v. 1. v. 2.

XXVI. Cum vana quoq; sunt & inutiles ha traditiones, Heretici enim ac contradicentes is convinci non possunt, nec Diaboli vis ac potentia his labefactatur, nec peccatum minuitur, nec ira Dei exstinguitur, nec perturbata conscientia in serijs certaminibus ullam inde consolationem haurire possunt. Quarum vanitatem comparat Esaias telis araneorum, quae artificiosè quidem facta videntur, sed earum nullius est usus ad vestes inde conficiendas, neq; enim tegunt, neq; calefaciunt. Ita humana traditiones habent quidem speciem disciplina ac sanctimonia, sed non peccata nostra coram tribunalì DEI tegunt, neq; corda caritate & pietate vera calefaciunt.

Esa. 59. 5. 6.

XXVII. Præterea non solum inutiles sunt, sed & summè perniciose; furantur purum Dei verbum, gignunt acerrima certamina, accersunt iram Dei, conturbant miseras conscientias, easq; tandem in aeternam damnationem immergunt. Quarum atrocitatem & summam perniciem Esaias quoq; innuit: Ovis basiliscorum fovent, qui comederit de ovis eorum MOR-IE TVR, & si conculcatum fuerit, erumpit Basiliscus. Basiliscus est omnium serpentum virulentissimus, qui solo intuitu hominem interficere dicitur: Ita doctrina Papistica falsis traditionibus referta, si recipiatur & cadatur (hoc enim est vesci ovis basiliscorum) morte aeterna perimit hominem. Ideoq; S. Sanctus graviter monet ut ab hac spirituali Babylone absurdis traditionibus scatente, procul exeamus, (a) ne ejus horrendis & aeternis panis implicemur.

Es. 59. v. 5.

a) Apoc. 18.  
v. 5.



XXVIII. Insuper ex documentis historiarum patet, plures traditiones quas pro divinis & Apostolicis venditant Pontificy, esse dubias & incertas, & longè post tempora Apostolorum excogitatas.

Reg. Greg.  
part. 8. E-  
pist. 7. Chlit.  
Parrif. The-  
ol. in Anti-  
Luth. Nav.  
gen. 13.

XXIX. Canon Missa, quem etiam inter Traditiones Apostolorum referunt, totis quingentis annis à Christo nato universali Ecclesie planè fuit incognitus. Quia non ab uno aliquo, nec eodem tempore, sed à pluribus, scilicet à Gelasio Scholastico, Syriaco primo, & Gregorio tertio, alijsq; consarcinatus & consutus est.

Canone A-  
postolo 68.

XXX. De jejunio quadragesimali, quod quoq; inter traditiones Apostolicas refertur, magna fuit inter Veteres discrepantia, ut ex historia Ecclesiastica apparet. Epiphanius constitutionem Apostolicam esse affirmat; in jejunio nihil præter panem, aquam & salem accipere; verum Socrates in historia Tripartita, certis argumentis ostendit falsum hoc esse & non Apostolicum.

Epiphan.  
contra A-  
tium.

a) Coll. 2.

XXXI. Socrati stipulatur Apostolus inquiringens: (a) Nemo vos iudicet in cibo & potu: imò prohibitionem ciborum sub vinculo necessitatis, vocat novam & temporibus Apostolorum inusitatam, temporibus autem (b) novissimis à Pseudoapostolis introducendam, & à Damone ipso excogitatam doctrinam.

b) (1. Tim. 4.

Aug. Epist.  
86.

XXXII. In quam sententiam & Augustinus scribit: Ego in Evangelicis & Apostolicis literis animo id volvens, video præceptum esse jejunium. Quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepta Domini vel Apostolorum non invenio definitum.

Ignat. Epif.  
ad Philipp.

XXXIII. Ignatius inquit: Quicumq; Dominicam aut sabbatum jejunaverit, præter unum sabbatum Pascha, ipse est Christi interfecto. Augustinus verò dicit in Romana Ecclesia sabbatho jejunari: qua planè sunt contraria.

XXXIV. Hac ergò discrepantia ostendit traditionem de jejunio quadragesimali non esse Apostolicam, sed ab hominibus quibusdam sub pietatis prætextu inventam. Ut Ecclesiastica historia testatur, de Montano hæretico qui primus jejunerum leges imposuit & se S. Sancti inspira-



inpiratione novas ceremonias ordinare commentus est, teste Apollonio, viro Apostolico.

XXXV. Item iudicium de multis alijs traditionibus, ut de calicis Eucharistici consuetudine, de aqua vino miscenda in Eucharistia, de chrismate, de confirmatione puerorum, de consecratione altarium, de extrema unctiōe, & alijs multis, de quibus constat non esse Apostolicas traditiones, sed multis post Apostolorum tempora seculis ab Episcopis Romane, sibus excogitatas, ut solide & prolixè demonstravit hoc B. Chemnitius in suo exam. de Tradit.

Euseb. hist. Eccles. lib. 5. cap. 18.

XXXVI. Cum itaq; haec traditiones Pontificiorum tam horribiliter in scripta Prophetarum & Apostolorum impingant, ijs q; planè contraria, imò prorsus inutiles ac perniciose sint, nullo modo agnoscimus illas, ut Hosius ille avoꝝ, pro certissimis Apostolorum traditionibus. sed ut pura putida mendacia & certissima Diabelorum signenta & excrementa toto pectore fugimus & aversamur.

#### CAPUT SECUNDUM.

#### De necessitate Traditionum.

#### Primus Error.

Ceremonia humana, non mandata Divinitus, sunt observatu necessariae, & obstringunt conscientias.

Trid. Conc. Sess. 7. Can. 13.

#### REFUTATIO.

I. Ut aliquam auctoritatem, quam ex S. S. scriptura probare non possunt, suis Traditionibus humanis, & signentis in proprio cerebro netis, concilient, summam eamq; obstringentem necessitatem ijs affingunt, quam nudo Anathematis fulmine armatam, & argumentis nequidem in speciem probabilibus suffultam, Ecclesia obtrudere admodum laborant Pontificij, quorum quadam videbimus.

II. Si, inquit Bellarminus, scriptura non est simpliciter necessaria & insufficientis, utiq; opus est traditionibus; sed verum prius; Ergo, Assumptum probat à varijs aetatibus Ecclesiae. Primis ait bis mille annis conservatam esse religionem sola traditione, per alia duo millia annorum extitisse quidem scripturam, eam autem solam Judaorum  
C fuisse,



fuisse, reliquas gentes, apud quas erat aliqua religio & fides, sola traditione non scripta usas fuisse: in N. T. per annos multos fuisse Ecclesiam absq; scripturis, Apostolosq; non ex mandato DEI scripsisse; ex quibus omnibus colligit Iesuita scripturas non esse simpliciter necessarias & sufficientes, ideoq; opus esse traditionibus.

III. Sed Resp. ad majorem in qua dua confunduntur distincte propositiones: scriptura non est sufficiens, & scriptura non est simpliciter necessaria. Priorem planè impiam & falsam esse antea probavimus: alteram quod attinet, distinguimus inter necessitatem absolutam, & inter necessitatem ex hypothesis.

IV. Si de absoluta necessitate ad salutem quaritur, non affirmamus scripturas esse simpliciter ad salutem necessarias. Fuit enim Ecclesia, antequam libri canonici fuerunt literis consignati. Si verò de necessitate eò indiciæ agitur, quatenus DEVS ipse iudicavit ad puri & incorrupti verbi in Ecclesia conservationem, capita doctrina Christiana literis consignari oportere, affirmamus scripturas, ut nunc ex voluntate & decreto DEI Ecclesia consideratur, omnino ac summè necessarias esse, & planè impium ac blasphemum esse, si quis contrarium offerat.

V. Deinde ad assumpti singula quatuor membra respondemus. Primò, concedamus ante diluvium, ut & post, usq; ad exitum populi Israël ex AEGYPTO annis 2454. conservatam fuisse religionem, sola traditione: Verùm illa traditio non fuit humanum & mendax figmentum, ut Papistarum, sed fuit verum & syncerum verbum DEI: Lex ob lapsum primorum parentum denuntiãns generi humano mortem & omnis generis calamitates, ac Evangelion de semine benedicto contrituro caput serpentis, & instauraturo genus humanum peccato correptum. Hæc fuit eorum traditio, quam Deus principio non quidem libris scriptis, sed viva voce, revelationibus & colloquijs, cum patribus renovavit & confirmavit, ut per Genesin videre est.

Gen. 3. 4. 6. 9  
12. 15. 17. 18.  
19. 22. 28.  
31. 32. 35.  
46. 49.

VI. Hoc sacrosanctum depositum divinarum patefactionum, & viva vocis institutionem Patriarcha custodierunt, suisq; filijs & nepotibus



ribus fidelissimè tradiderunt: sicut de <sup>(a)</sup> Setho dicitur quod capere  
 predicare nomen Domini, id est, cultum Dei institueret. Sic septi-  
 mus ab Adam Enoch graviter legem concionatus est, arguendo <sup>(b)</sup>  
 malitiam hominum, & annunciando venturam iram Dei ad iudicium  
 cum multis millibus apparituri. Et quia Enoch plenus <sup>(c)</sup> fide Deo  
 placuit, ex abundantia cordis ore loquendo, inhibere se non potuit, quin  
 ardentè inculcaverit primo mundo promissionem de benedicto semi-  
 ne, quo freti possent à peccatis liberari & venturam ira diem effu-  
 gere. Hoc quoque exercuit fideliter viva voce Noah <sup>(d)</sup> haeres iusticia  
 per fidem, qui hinc <sup>(e)</sup> praece iusticia vocatur, quod iusticiam Evange-  
 licam à Patribus per manus, ut sanctissimum depositum traditam, di-  
 ligenter predicaverit.

a) Gen. v. 4.  
26.

b) Epist. Iud.  
v. 14. 15.

c) Heb. 11, 5.

d) Heb. 11, 7

e) 2. Pet. 2  
v. 5.

**VII.** Sed haec diadochi & successiva doctrina traditio postea desit.  
 1. propter generis humani multiplicationem, qua effecit, ut doctrina  
 caelestis veritas, non amplius unius atque alterius familia limitibus con-  
 tineri posset. 2. propter vitae humanae brevitatem & memoriae imbec-  
 illitatem. 3. propter mundi malitiam & Diaboli infinita <sup>iniqua</sup> <sup>iniqua</sup> <sup>iniqua</sup>  
 methodias.

**VIII.** Si enim Patrum adhuc aetate post tam claras revelationes  
 Abrahamo, Isacco & Iacobo factas, nihilominus in familia Iacobi <sup>(a)</sup>  
 Idola inventa sunt, & in Aegypto Israelitae <sup>(b)</sup> offensiones oculorum  
 suorum coluerunt, quid non malitia hominum & Diaboli moliretur in  
 his novissimis temporibus, si verbum Dei non esset certis scriptis com-  
 prehensum.

a) Gen. 35, 2

b) Ezech. 20  
v. 7

**IX.** Non itaque valet consequentia: primis bis mille annis conser-  
 vata est religio sola traditione: Ergo nunc quoque scriptura non est  
 simpliciter necessaria. Quod enim tunc ex benevola Dei dispositione  
 ob hominum paucitatem, ob longevam patrum aetatem, ob crebras di-  
 vinas patefactiones, quae vicem scripturae impleverunt, non fuit ne-  
 cessarium: id nunc ex decreto & consilio Dei ob summam humanae vi-  
 ta brevitate, ob Ecclesiae amplitudinem, ob Diaboli ac hominum ac-  
 crescentem malitiam, quiescentibus divinis patrum revelationibus,  
 summe potest esse necessarium.

C 2

Quod



X. Quod deinde dicit Bellarminus, per alia duo millia annorum exstitisse quidem scripturam, eam vero solam Iudeorum fuisse, reliquas gentes, apud quas erat religio & fides sola traditione non scripta usas fuisse, hac nihil suis fidei traditionibus patrocinantur. Iudaei enim

a) Rom. 3. v.  
2. & 9. v. 4.

scripta Moysi & Prophetarum ut testibus & Bibliothecarijs Dei (a) concredita sunt, interim tamen ex historijs constat gentes conversas, profelytos & viros religiofos canonicam scripturam V. T. habuisse & legisse.

Epiphanius in  
lib. de mensura  
& ponderibus.

XI. Ideo enim Deus excitavit Ptolomeum Philadelphum, qui anno mundi 3695, annis 268. ante natum Christum, sacram scripturam in Graecam linguam à 72. interpretibus transferri curavit, qua translatio procul dubio non saltem in Bibliotheca Alexandrina conservata, sed longe latèq; inter gentes sparsa fuit.

a) Act. 8. v.  
30.

XII. Hinc legimus in Actis, gentilem (a) Aethiopem *ἑὺδαῖν* Regina Candaces non traditiones Iudeorum, sed ipsum Prophetam Esaiam evoluisse. Et Apostoli illam translationem Graecam tunc temporis usitatissimam & notissimam sapissime allegarunt. Ex quibus colligitur etiam gentes habuisse & legisse sacra biblia ante adventum Christi.

De his vide  
plura in  
comment. Hun-  
nij de certit.  
script. argumento  
18.

XIII. Praeterea etsi gentes conversa ante natum Christum, ex sola traditione piorum Iudeorum suam doctrinam de Christo hauserint, & non ex scriptis *ἱερατικῶν*, tamen, hanc traditionem de promisso Messia primario ac principaliter haustam esse constat, ex verbo *ἱερατικῶν*, & sic traditam gentibus. Probetur vero Pontificij suas traditiones Pseudoapostolicas etiam esse primario desumptas ex verbo Dei scripto, quod facient ad Calendas Graecas.

XIV. Quod Tertio Bellarminus dicit in N. T. per annos multos fuisse Ecclesiam absq; scripturis, hoc *διαρρηθῆναι* inficiamur. Nam licet canonem Evangeliorum & Epistolarum Apostolicarum non habuerunt ab initio integrum & omnibus numeris absolutum, interim tamen habuerunt scripta Veteris T. ut jam antea probavimus, & in Berrhoen-

a) Act. 17. 13.  
b) 1. Tim. 4.  
v. 13.

sis (a) videre est, ac in Timotheo (b) à primis annis sacras literas perferunt, quas Paulus Timotheo & in genere omnibus doctoribus

Eccle-



Ecclesia, & Christus omnibus Christianis (c) diligenter pervolvendas <sup>c) Ioh. 5. 40.</sup> commendant. Quae vana fuisset scriptura commendatio, si scripturas V. T. non habuissent.

XV. Habuit insuper primitiva Ecclesia Apostolos viva voce Evangelion docentes, qui vicem scripturae in N. T. tradita, facile potuerunt implere, & suos à fermento Pseudoapostolorum tueri ac defendere. Sed jam alia est ratio extinctis Apostolis & confecto integro canone, ex quibus sufficienter dogmata fidei morumq. possunt stabiliri.

XVI. Deniq. autem addit Bellarminus Apostolos non ex mandato Dei scripsisse, quod falsum est. Nam expressum exstat verbum Dei: scribe quae vidisti (d). Habuerunt insuper generale mandatum scribendi: (c) ite docete omnes gentes, quibus verbis rem complexus est Saluator, modum vero rei qui vel in predicando vel scribendo consisit, arbitrio Apostolorum & instinctui S. Sancti permisit, ut satis hoc in prima disputatione de S. scriptura probatum. <sup>d) Apoc. 1. v. 11. & 14. v. 13. c) Matt. 28. v. 19.</sup>

XVII. His omnibus ita explicatis & refutatis, falsum est quod Bellarminus vult inferre: Ergo scriptura non est simpliciter necessaria & insufficientis, & per consequens opus traditionibus. Imò posita & concessa conclusione (quae nunquam tamen conceditur eo sensu, quo Pontificij accipiunt) hinc tamen non statim sequitur: Ergò impijs Pontificiorum traditionibus opus. (Est enim argumentum à particulari.) Nam de his nobis controversia est.

XVIII. Insurgunt porro adversarij per instantiam, obijcientes nobis tanquam Gorgonis caput, Traditionem Ecclesiae de libris canonicis: Si, inquit, Traditionem scriptura ab Ecclesia recipiamus, cur etiam non alias, de quibus eadem testatur.

XIX. Sed respondemus, Argumentum laborare multiplici errore. A particulari enim infertur universale. Non enim sequitur, haec traditio Ecclesiae, quod Evangelion Matthaei sit Matthaei, Epistola Pauli sine revera Pauli, recipitur ab Ecclesia: Ergò & quavis traditiones à catholica Ecclesia, sub praetextu Apostolico recipienda. Nam ingens discrimen est inter Traditionem Ecclesiae de scriptura, & inter traditiones Papistarum.



XX. Libri enim scriptura canonici suam auctoritatem quod sine verè canonici, non primitus habent ab Ecclesia, sed à Testimonio interno seu *νευμελωσ* intrinsecis à S. Sancto inspiratis, videl. rerum majestete, *συμφωνία* inter se librorum diversis seculis editorum, doctrina antiquitate, vaticinijs rerum futurarum completis, miraculis Divinis, vi & efficacia in cordibus.

XXI. Deinde verò accedit testimonium Ecclesie primitiva externum, & *ἀπόπτου*, qui quidem non canonicam auctoritatem libris istis canonicis tribuerunt, sed divinitus tributam scriptoribus, illi suà *μαρτυρία* testati sunt, & *γνησία* Apostolorum scripta <sup>(a)</sup> signis eorum notata, à vobis Pseudoapostolorum pagellis accuratè distinxerunt, & eadem rectè cognita fideliter custodierunt, & non tantum per manuum traditionem, sed & scriptis monumentis posteritati commendarunt, & ea predicatione, confessione & martyrijs illustrarunt.

a) 2. Theff. 3.  
v. 17.

XXII. Sed Traditiones illae Pontificiae, quae vulgò Apostolorum appellantur, non habent talia interna *νευμελωσ*, nec ex scripturis probari possunt, imò cum iisdem pugnant, neq. firmum & continuum primitiva Ecclesie testimonium habent. Hinc itaq. clarè patet, longum esse discrimen inter traditionem Ecclesiae de scriptura canonica, & inter traditiones Pseudoapostolicas Pontificiorum; & per consequens non possunt ab hac ad illas argumentari.

Ordin. 4.  
lib. 2. c. 14. &  
lib. 5. cap. 1.

XXIII. Sume exemplum: Recipiunt multi Traditionem & Kabalam Iudaorum, qua tribuitur Eliae Prophetae, & ponitur in Thalmud Iudaorum; sex millia annorum durabit mundus, Duo millia inane, Duo millia lex, Duo millia dies Messia; & addunt Rabbini, & propter peccata nostra quae multa sunt, praterierunt ex ijs, quot quot praterierunt. Sic universalis Ecclesia Christi, Traditionem Iudaorum, quae hanc priorem auctoritate & certitudine longissimè antecellit, de canonicis libris V. T. recepit. Hinc tamen non sequitur: Ergò omnes Thalmudicas traditiones & depravatas eorum interpretationes, quas pro DE I verbo jactitant, esse recipiendas. Ideo enim eas non agnoscimus, quia cum libris illis, quos nobis nomine Mosis & Prophetae



phetarum tradiderunt, pugnant, in quibus quid & quantum sit nobis credendum, praescriptum est.

XXIV. Ut itaq; testificationem historicam Iudaorum de libris canonicis recipimus, rejectis ceteris traditiunculis Thalmudicis pugnantibus cum scriptura: Ita primitivae Ecclesiae testimonium amplectimur, neglectis interim Pseudoapostolorum traditiunculis.

XXV. Corradit verò Bellarminus quadam etiam scripturae dicta, quibus vult probare suas Pseudoapostolicas traditiones. Ioh. 16. v. 12. Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo Item Ioh. 21. v. 25. Sunt & alia multa quae fecit Iesus, quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

XXVI. Quod primum dictum attinet, sciendum est, Salvatore non velle, neglectis suis concionibus & dictis, aliam perfectiorem doctrinam per Pseudoapostolicas traditiones, per Papas Pralatosq;, aliasq; Monachorum regulas aut decretalia, mundo revelare, aut nova eudere dogmata; sed accommodat se Christus hoc dicto ad captum discipulorum infirmorum, & promittit plura ad explicationem iam dictorum, & confirmationem fidei imbecillis Apostolorum, in tantis difficultatibus facientia, quae praestitit quoq; Christus in festo Pentecostes dato S. Sancto, qui mentem eorum illuminavit, & languidam fidem auxit & corroboravit, ita ut mundo & Diabolo frementibus, intrepido spiritu crucifixum Christum predicaverint.

XXVII. Itaq; Augustinus graviter invehitur in illos, qui hunc locum ad stabiliendas traditiones tacitas torquent: Aliud est scire, inquit, utrum à nobis vel vobis portari possunt, aliud autem scire quae sint, sive portari possint, sive non possint. Quae cum iste tacuerit, quis nostrum dicat, ista vel illa sunt? aut si dicere audeat, unde probabit? Quis enim est tam vanus & temerarius, qui cum dixerit etiam verba, quibus voluerit & quae voluerit, sine ullo testimonio divino affirmet ea esse, quae tunc Dominus dicere noluit? Quis hoc nostrum faciat, & non maximam temeritatis notam incurrat, in quo nec Prophetica, nec Apostolica excellit auctoritas,

Traçt. 96.  
in Iohan.

Dein-



XXVIII. Deinde quod Iohannes negat omnia scripta esse, non arguit scripturam insufficientia, ut propterea opus sit traditionibus. Vult enim Iohannes dicere: Dominum multo plura signa edidisse & verba fecisse, nempe eandem doctrinam inculcando, non alienam & diversam, multo minus contrariam proponendo, & hac esse quaedam principia ex ceteris omnibus studio & prudenter ad edificationem fidei nostra à S. Sancto selecta, ut hinc cognoscamus & credamus Iesum ex Maria virgine natum, verum esse & divinitus promissum Messiam, ut quoque nostra imbecillitati succurreret, quæ facile potest obrui & confundi.

lib. 12. in  
Iohan.

XXIX. Hinc Cyrillus: Non omnia quæ fecit Dominus, conscripta sunt, sed quæ scribentes tam ad mores quam ad dogmata putarunt sufficere, ut recta fide, operibus ac virtute rutilantes ad regnum eorum perveniamus per Iesum Christum.

XXX. Neg. patrocinatur Iesuita, locus Pauli 1. Cor. 11. v. 2. Laudo vos, quod per omnia mei memores estis, & sicuti tradidi vobis traditiones retinetis. Item, cetera cum venero disponam: accepi à Domino & tradidi vobis. Nam hic confundit Iesuita primum & secundum genus Traditionum cum quarto. Per traditiones enim hoc loco intelligit Paulus non ficticias & Papislicas, sed partim doctrinam fidei, ut de Eucharistia quam sibi à Domino traditam esse verat, partim ritus salutare, ut de modo orandi in Ecclesia, & de modo sumenda Eucharistia, *ἡ δὲ τῶν κατὰ τὸν νομὸν ὡς ἔστιν* utiles. Sed ab his traditionibus Divinis & Apostolicis argumentari ad pseudoapostolicas, planè ἀνόμιον & absurdum est.

XXXI. Adducit insuper Bellarminus locum Pauli 2. Thessal. 2. v. 15. Fratres præstate & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram. Sed tenendum est per vocem traditionis Paulum non intelligere humanas, sed plane divinas traditiones, & agnitam Evangelij doctrinam, quod patet ex precedentibus verbis v. 13, 14. Idem liquet ex eo, quia in priori Epistola, quam hoc loco expresse per vocem *ἐπιδοκίμασθε τὰς παραδόξαις ἡμῶν*, innuit, non humana fragmenta



figmenta ijs inculcarit, à quibus abhorruit Paulus Rom. 15. v. 15. sed ipsam puram doctrinam Evangelij, quam se etiam coram per sermones docuisse, in 1. Epistola ad Thessalon. cap. 2. v. 7. & alibi testatur.

XXXII. Insuper non valet consequentia ab una Epistola Pauli per brevi, ad totum complexum scriptorum canonicorum V. & N. T. concludere, & hinc suum verbum ἀπαρὸν probare. Nam ex annotatione temporis & historia Ecclesiastica patet, eo tempore, quo posterior Epistola ad Thessalonicenses fuit scripta, per pauca admodum scripta N. T. fuisse consignata, & non in unum σύνταγμα canonicorum librorum comportata. Et quia Apostoli adhuc erant in vivis, qui erant pleni S. Sancto, & habebant testimonium, quod in doctrina errare non poterint, rectè potuit Paulus auditores suos non minus ad traditionem viva vocis, quam scripturam revocare

XXXIII. Itaq; non valet argumentum: Quando neq; scripta N. T. erant omnia in lucem edita, neq; quæ exstabant in unum corpus erant redacta, Paulus remittit suos auditores tum ad traditiones viva vocis, tum ad scripturas: Ergò etiam nunc quoq; postquam ex voluntate & dispositione DEI omnia scripta N. T. sunt in unum σύνταγμα comprehensa, librisq; V. T. adjuncta, Ecclesia non saltem ex verbo ἑρμηνεύει divinitus inspirato, sed & ἀπαρὸν, id est, ex traditionibus mendacibus veritatem doctrinae caelestis haurire necesse habet. Quis non videt argumenti ἀνασχετικόν.

XXXIV. Satis autem in hoc secundo membro de Traditionibus, ubi demonstratum, tum εἰδικὰς, tum γενικὰς Traditiones Pontificiorum non esse certissimas Apostolicas, sed falsas & pseudoapostolicas, refutatis insuper Bellarmini quibusdam argumentis. Iam porro videndum quo pietatis affectu & reverentia illas suscipiendas & venerandas imperent.

### Error Secundus.

Sacrofancta Tridentina Synodus sine scripto Traditiones tam ad fidem, quam ad mores pertinentes, tanquam

Conc. Trid.  
Dec. 1. sess. 4

D

quam



quam vel ore tenus à Christo, vel à S. Sancto dictatas & continua successione ab Ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu & reverentia cum libris tam V. quam N. T. suscipit & veneratur.

## REFUTATIO.

I. Quod Paulus affirmat de Pseudoapostolis, quod sint operatores dolosi transfigurantes se in Apostolos Christi, imò secundum patrem suum Sathanam transfigurantes se in Angelos lucis & ministros iusticiae, falsantes & (a) cauponantes verbum Dei, qui per blandiloquentiam & assentationem (b) ἐν τῇ κολοίᾳ καὶ πανουργίᾳ τοῦ θεοῦ τὴν μεθοδίαν τῆς ᾧδῶν corda hominum minimè malorum seducant: Id verissimè de Pseudodoctoribus Tridentini Concilij affirmari potest.

a) 2. Cor. 2.  
v. 17. &  
cap. 4. v. 2.  
b) Ephes. 4.  
v. 14.  
Rom. 16. v.  
13.

II. Demonstravimus enim hactenus firmissimis rationibus, Traditiones Papistarum non esse divinas & Apostolicas, sed esse humanas, imò impias & Diabolicas, sed in hoc impio canone videmus, quomodo Sathan & ejus operarij, se in Angelos lucis transforment & vocent illa Diaboli excrementa, traditiones ore tenus à Christo & à S. Sancto dictatas una cum scriptura θεοπνεύσω pari pietatis affectu suscipiendas & venerandas.

III. Ingens autem impietas est humana cum divinis & divina cum humanis, & mendacia cum veritate confundere, & eadem pari pietatis affectu suscipere & venerari. De qua horribili confusione gravissimè conqueritur Dominus: (c) Prophetas, qui habet somnium narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Quid peius ad criticum dicit Dominus. Qua est participatio, inquit Paulus, (d) iustitia cum iniquitate? aut qua societas luci ad tenebras? vel qua conventio Christo cum Belial? aut qua pars fidei cum infideli? qui consensus templo DEI cum Idolis?

c) Jer. 23. v. 28  
d) 2. Cor. 6.  
v. 14.

IV. Ne ergò pari pietatis affectu & reverentia, humana fragmenta Papistarum cum verbo DEI veneremur, vehementer utile est sapè considerare discrimen inter traditionem divinam & Apostolicam; & inter traditiones humanas & pseudoapostolicas.

5. Pri-



V. *Primò differunt authore. Scriptura authorem habet ipsum Deum. Plurimum autem interest in hac vita, an quid herus, seu quid Rex dicat, an verò servus aut subditus. Hinc est quod toties ingeminant Propheta, DOMINVS DIXIT. At de Papisticis traditionibus probatum est, quod non à Deo, sed ab hominibus, imò instinctu ipsius Diaboli excogitata, (c) contra ipsum Deum prælientur.*

VI. 2. *Certitudine & veritate. Solum Verbum DE Iest verbum veritatis, argentum repurgatum septies, (d) nihil habens in se erroris aut vanitatis. Traditiones autem Papisticae sunt pandectæ errorum & superstitionum, & verè Pandora pixis cuius operculo omne genus corruptelarum, abusuum & superstitionum in Ecclesia iniectum fuit, ut jam antea satis probatum. Hinc S. Sanctus tales traditiones Antichristi Romani, vocat mysterium impietatis, fraudem in iusticia, (e) mendacia, efficaciam deceptionis, & patronos earum vocat spiritus deceptores, hypocritas & falsiloquos.*

e) 1. Tim. 4. v. 2.  
2. Theff. 2. v. 9. 11.  
Apoc. 18. v. 2  
Dan. 11. 36.  
f) Ps. 12. v. 7.

VII. 3. *Fundamento. Vnicum fundamentum totius scripturae est Christus Iesus, in quo solo habemus remissionem peccatorum, iusticiam & vitam æternam. Omnes enim Propheta testimonium perhibent (h), quod per nomen eius accipiant remissionem peccatorum, quot quot credunt in eum. Antichristus cum suis traditionibus ficticijs negat Christum unicum illud fundamentum scripturae, non quidem ratione personae, sed ratione officij (i), dum docet quod non per solam passionem & mortem filij DEI habeamus remissionem peccatorum placatum & propitium Deum, & obtrudit nobis alia fundamenta Ecclesiae, merita sanctorum, bona opera, &c.*

g) 2. Theff. 2. v. 7. 9. 10. 11.  
1. Tim. 4. v. 1, 2.  
h) Act. 4. 12. c. 10. 43.  
i) 1. Ioh. 4. v. 3.

VIII. 4. *Materia præstantia. Materia sermonis Divini est præstantior & sublimior. Docet de creatione rerum, de hominis exordio ac lapsu, de generis humani restauratione per Christum, de persona Christi, de eius natiuitate, passione & morte, de eius gloriosa resurrectione & sessione ad dextram DEI, de iustitia fidei, de pace bona conscientiae & cultibus ipsi vicissim præstandis. Papisticae traditiones multas nugas & Aniles fabulas complectuntur, ut de purgatorio,*



de reliquiis sanctorum, de cucullis Monachorum, de peregrinationibus ad S. loca & ejus generis infinita.

**IX. 5. Verustate.** Nulla antiquior doctrina est in mundo quam ea, qua in monumentis V. & N. T. comprehensa est, ac principium suum in ipso paradyso sortita est, et promissio de semine mulieris contrituro caput serpentis, qua fundamentum, scopus, ac medulla est totius scripturae. Papisticae traditiones sunt novae ac nuper natae, hinc dicit Paulus patronos istarum traditionum orituros in novissimis temporibus (k).

k) 1. Tim. 4.

v. 1.

l) Es. 40. v. 8.

Matt. 5. v. 18.

**X. 6. Duratione.** Tanta est firmitas sermonis divini ut maneat in aeternum (l), ut quae unum jota aut apex non intereat, quin impleatur, imò tanta est ejus stabilitas ut potius caelum & terra sit transitura, quam quicquam de verbo DEI intereat. Papisticae traditiones sunt momentaneae, instabiles; quae partim abolitae & sublatae per spiritum oris Christi, partim per illustrem ejus adventum totaliter abolebuntur (m).

m) 2. Thef. 2

v. 8.

**XI. 7. Proprietatibus & effectibus.** Verbum Dei est verbum vivum & efficax, ignis ardens & malleus per legem conterens lapidea & obstinata corda, & per Evangelion consolans contritos, est gladius spiritualis penetrantissimus contra Sathanam & impios Ecclesiae hostes, (n) pertingens usque ad divisionem animae ac spiritus, compagumque & medullarum, & omnia vana & non methodicae Sathanae omniumque hominum cogitationes & conceptiones dijudicat & discernit. Dogmata verò Pontificia sunt instar stipularum & palearum, inefficacia & mortua litera, quibus nec impius ad agnitionem suorum peccatorum perducitur, nec contrita corda eriguntur, nec Sathan profligitur, imò potius allicitur. De quorum vanitate supra dictum.

n) Ebr. 4. 12.

**XII. 8. Fine.** Finis & scopus verbi divini est, ut illustretur gloria Dei, ac corda piorum in sensu irae Dei & peccatorum, habeant requiem & consolationem, placatum Deum, pacatam conscientiam, & per fidem accipiant vitam aeternam. Finis & scopus traditionum Pa-

o) Apo. 18. 2. pistarum, est blasphemia nominis divini & horrenda Idololatria, (o) miserrima



ferrima laniena & atrox carnificina anxiarum conscientiarum, tristis  
dubitatio de voluntate Dei, in sensu ira Dei summus angor & horror,  
& tandem horribilis desperatio cum eterno animarum interitu con-  
iuncta. Sicut de hac summa miseria Christus innuit; (p): Erit tunc  
afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc usq; tempus  
neq; fiet, & nisi decurtati fuissent dies, non fieret salva omnis caro.

p) Matt. 24.  
v. 2.  
Dan. 12. v. 1.

XIII. Cum itaq; verbum Dei & Pseudoapostolica Papisarum tra-  
ditiones in tantum differant, quantum lux à tenebris, Christus à Be-  
lial, vita à morte, calum à terra, Deus à Diabolo; horribilis & atrox  
confusio est, imò impudens mendacium & blasphemia in spiritum S.  
quod impia Tridentina synodus affirmat, Pseudoapostolicas illas tradi-  
tiones pari pietatis affectu & reverentia suscipiendas & venerandas  
esse.

XIV. Certissimè non effugient tristissimum illud v.a (q). Va qui  
dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, &  
lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & dulce in amarum. Et  
quia nomen Domini suis traditionibus blasphemaverint, non habebit  
Deus ipsos insones, ut minatur in secundo praecepto, puniet ipsos in  
hac vita confusione & mala conscientia (r), & conficiet ac in furore ar-  
guet ipsos in illustri adventu suo, & confringet eos in virga ferrea  
tanquam vas figuli, & aeterna morte, lucta, fame ac igni infernali ju-  
dicabit eos.

q) Es. 5. v. 20.  
r) 1. Tim. 4. 2  
Pfal. 2. v. 12  
2. Thess. 2.  
v. 8.  
Apoc. 18, 8.

XV. Non saltem autem illi, sed & omnes qui pari pietatis affe-  
ctu & reverentia idola illa & terros furores Papisicos coluerint, pari  
impietatis effectum ac pana unà implicabuntur, secundum horribilissi-  
mam comminationem S. Sancti (f): si quis adoraverit bestiam & ima-  
ginem ejus & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua,  
bibet hic quoq; ex vino ira Dei, ex mero inquam infuso in poculum ira  
ipsum & cruciabitur igni ac sulphure in conspectu Angelorum sancto-  
rum & in conspectu agni.

f) Apoc. 14-  
v. 10.

XVI. Sed ab his terribilibus & panis horribilibus, talem  
confusionem concomitantibus, Deus pater liberatoris nostri Iesu Christi



t) Pſal. 119.  
v. 105.  
2. Pet. 1. v. 19.

per S. ſuum ſanctum clementer Eccleſiam ſuam repurgatam, deinceps  
quoq; immunem, inq; agnita veritate verbi ſui conſtanter conſeruet,  
ut ſit lucerna pedibus noſtris ſacra ſcriptura<sup>(t)</sup>, cui attendamus tan-  
quam lucerne lucenti in loco caliginoſo huius mundi, uſq; dum dies  
illuceſcat & lux celeſtis doctrina magis magisq; in  
cordibus noſtris accendatur.



*Ad Ornatiffimum & Doctiffimum Dn.*

RESPONDENTEM.

O Diſti ceu clauſtra Erebi, qui vertice rupto  
Fundamenta domus diruit ima tuæ:  
Odiſti, ceu clauſtra Erebi, qui lumina, qui cor,  
Qui bona, qui vitam, qui rapit atq; animam:  
Odiſti ceu clauſtra Erebi, qui cum Styge cœlum  
Miscet, ſumma imis, cum Sathanaq; Deum:  
Odiſti ſummè, quem ceu Sathanae excrementum  
Perfectis odijs mandat habere Deus  
Cur non ergò, feri velut horrida tartara Papæ  
Hæc monſtra odiſti, digna ſupremo odio?  
Hæc baſin, hæc oculos animi, hæc cor, hæc tibi vitam,  
Hæc bona cuncta tibi, hæc vah rapiunt animam.  
Turpiter infando miſcent hæc omnia luſu,  
Et ſanctum foedant ſtercore dogma ſuo:  
Hæc cœlum inferno confundunt, ſancta prophanis,  
Luminibus tenebras, cum Beliale Deum.

Hæc



Hæc summo zelo te vox terrenda Iehovæ  
Vitare ut pestem talia monstra juber.  
Idola hæc igitur vites cane pejus & angue:  
Diligere & si vis, dilige verba Dei.  
Dilige verba Dei, quæ fundamenta salutis  
Sunt tua, quæ tua lux, vitaq; , corq; tuum.  
Atq; age te verbi sincero inflammet amore,  
Teq; Deus repleat Traditionum odio,

*M. Joachimus Penshorn Hamb.*



**M**endaciorum litigium est fabris  
Cum veritatis lumme: Codicem  
Formare sacrum Jesuitis  
Traditionibus allubescit,  
Excogitatis Pontificis sui  
In sermone; ne forte ruat salus.  
Sed pallium num Veritati  
Convenit? ô miseram salutem!  
Verum allubescat: Non grave, si putent  
Hoc esse & illud; sed grave, si probent.  
Monstrare quod dum Deuterotis,  
JANE, cupis, meliora doce:

*Jejunijs*




*Fejunijs, votisq; Monasticis,  
Vitâq; cautè calibe, Carcere  
Purgante vix non enecatòs,  
Hen crucias mage! parce Papæ.*

*facieb.*


*M. Sigismundus P. Schellhammer  
Hamburg.*














ferrima laniena & atrox carnisicina anxiarum  
dubitatio de voluntate Dei, in sensu ira Dei sum  
& tandem horribilis desperatio cum eterno an  
juncta. Sicut de hac summa miseria Christus in  
afflictio magna, qualis non fuit ab initio munda  
neq, fiet, & nisi decurtati fuissent dies, non fieri.  
XIII. Cum itaq, verbum Dei & Pseudoaposto  
ditiones in tantum differant, quantum lux à ten  
lial, vita à morte, calum à terra, Deus à Diabolo  
confusio est, imò impudens mendacium & blasp  
quod impia Tridentina synodus affirmat, Pseudoa  
tiones pari pietatis affectu & reverentia suscipie  
esse.

XIV. Certissimè non effugient tristissimum  
dicitis malum bonum, & bonum malum, ponente  
lucem tenebras, ponentes amarum in dulce & d  
quia nomen Domini suis traditionibus blasphema  
Deus ipsos infontes, ut minatur in secundo praec  
hac vita confusione & mala conscientia (r), & con  
guet ipsos in illustri adventu suo, & confringer  
tanquam vas figuli, & aeterna morte, lucta, famu  
dicabit eos.

XV. Non saltem autem illi, sed & omnes qui  
ctu & reverentia idola illa & terros furores Pap  
impietatis effectum ac pena unà implicabuntur, sec  
mam comminationem S. Sancti (s): si quis adorare  
ginem ejus & acceperit characterem in fronte s  
bibet hic quoq, ex vino ira Dei, ex mero inquam  
ipsius & cruciabitur igni ac sulphure in conspectu  
rum & in conspectu agni.

XVI. Sed ab his tetrīs confusionibus & pan  
confusionem concomitantibus, Deus pater liberato

D 3



o, tristis  
horror,  
itu con-  
rit tunc p) Matt. 24:  
tempus v. 2.  
aro. Dan. 12. v. 1.  
um tra-  
à Be-  
& atrox  
ium S.  
tradi-  
randas  
Va qui q) Ef. 5. v. 20.  
em, &  
n. Et  
habebit  
ipsos in  
ere ar- r) 1. Tim. 4. 2  
ferrea Pfal. 2. v. 12  
nali ju 2. Theff. 2.  
v. 8.  
Apoc. 18. 8.  
is affe-  
nt, pari  
bilissi-  
& ima. f) Apoc. 14-  
v. 10.  
u sua,  
um ira  
sancto-  
, talem  
Christi  
per S,